

Fortunam rei publicae nostrae, cui iuxta immortales deo[s] bellorum memoria, quae feliciter gessimus, gratulari licet tranquillo orbis statu et in gremio altissima[e] quietis locato, etiam pacis bonis, p[r]opter quam sudore largo lavoratum est, disponi fideliter adque ornari decenter honestum publicum et Romana dignitas maiestasque desiderant, ut nos, qui benigno favore numinum aestuantes de praeterito rapinas gentium barbararum ipsarum nationum clade compressimus, in aeternum fundatam quietem d[e]bit[is] iusti[t]iae¹⁰ munimentis saepiamus. — — — — — (*Post alia*) Quis enim adeo optimi pectoris et a sensu humanitatis extorris est, qui ignorare possit, immo non senserit in vehalibus rebus, quae vel in mercimoniis aguntur vel diurna urbium conversatione tractantur, in tantum se licentiam difusisse pretiorum, ut effrenata livido rapiendi nec rerum copia nec annorum ubertatibus mitigaretur? — — — — — (*Paullo post*) Et quibus senper studium est in questum trahere etiam beneficia divina, ac publicae felicitatis affluentiam stringere rursusque anni sterili[tate de seminum] iactibus adque institorum officiis nundinari; qui singuli maximis divitiis diffluentes, quae etiam populos adfatim explere potuissent, consecentur peculia et laceratrices centensimas persequantur: eorum avaritiae modum statui, provinciales nostri, communis humanitatis ratio persuadet. — — — — — (*Rursus post alia*) His omnibus, quae supra comprehensa sunt, iuste ac merito permoti, cum iam ipsa humanitas deprecari videretur, non praetia venalium rerum — neque enim fieri id iustum putatur, cum plurima[e] interdum provinciae felicitate optatae vilitatis et velut quodam affluentiae privilegio gloriantur — sed modum statuendum esse censuimus; ut, cum vis aliqua caritatis emergeret¹¹ — quod dii omen averterent! — avaritia, quae velut campis quada[m in]mensitate diffusis tener[is] non poter[at], statuti nostri finibus et moderaturae legis terminis string[er]etur. Placet igitur [e]a pretia, quae sub[di]ti brevis scriptum designat, ita totius orbis nostri [o]bs[er]vantia contineri, ut omnes intellegant egrediendi ea[d]em licentiam sibi esse praecisam; non inpedita utique in his locis, ubi copia rerum perspicitur affluere, vilitatis haecatu[di]ne, [c]ui maxime providetur, dum praefinit[a] avaritia conpescit[ur]. Inter v[en]ditores autem emptoresque, quibus consuetudo est adire portus et peregrinas obire provincias, haec communis actus debet esse [e] moderatio, ut, cum et ipsi sciant in caritatis necessitate statuta rebus pretia non posse transcendi, distractionis tempore ea locorum adque discursu[um] totiusque negotii ratio subputetur, qua iuste placuisse perspicitur nusquam carius vendituros esse qui transferunt. Quia igitur et apud maiores nostros hanc ferendarum legum constat fuisse rationem, ut praescripto metu conpescer[er]tur audacia — quod rarum admodum est humanam condicionem sponte beneficam deprehendi, et senper praeceptor metus iustissimus officiorum invenitur esse moderat[or] — placet, ut, siquis contra forinam statuti huius conixus fuerit